

expressit, per sapientiam sermonis sui. Qua cōparatione etiam innuitur, principem magnum esse artificē, si suo sermone prudenti populum docere, regere, & continere norit, sicut vocantur artifices, qui industria manus suæ infigne aliquod opus norunt producere. Quod apud nos additur; & in sensu seniorum verbum; significat verbum seniorum laudari ex sensu, hoc est, ex prudentia & grauitate sententiarū quæ decēt senes.

25 Terribilis in ciuitate sua homo linguofus, & temerarius in verbo suo odibilis erit.

**C**Vm superiori sententia ostenderit laudem quæ ex sapienti sermone principi obuenit, hic contrā ostendit odium quod ex sermonis & linguae vitio homini prouenit, & pertinet etiam hæc potissimum ad principem, vt patet ex eo quod dicit, in ciuitate sua, quamuis etiam generaliter ad omnes pertineat ciues. Duo autem mala se consequentia tribuit homini linguoso, hoc est, qui multa imprudenter blaterat, quem & temerarium vocat in verbo suo, quia ad quiduis dicendum sine iudicio prorumpit. Primum enim talem dicit esse terribilem, quia omnes sibi ab effrenata eius lingua metuunt, & frequenter per talem in ciuitibus discordia & seditiones excitatur. Et quia terribilis est, ideo etiam odibilis erit omnibus. Proinde rectè monet Ecclesiastes; Ne temerè Eccles. 5. quid loquaris, neque cor tuum festinet ad sermonem.

## CAP V T DECIM V M.

Iudex sapiens iudicabit populum suum, & principatus sensati stabilis erit.



RO, iudicabit, Græcis est πατέρα, hoc est, docet & erudit: & pro, stabilis est, πατερ, μάνη, hoc est, ordinatus. Ostendit duplē fructum qui à iudice sapiente prouenit in re-publica. Nam talis & docet populum suum, demonstrans tum legibus à se cōstitutis, tum sermonibus suis, quæ sint facienda, quæ vitanda: quæ iusta sint, quæ iniusta: & quia sic eum docet, ideo etiam principatus eius erit ordinatus, & ne-quaquam confusus ac perturbatus, sed omnia in eo erunt rite disposita, per legum æquitatem, & doctrinæ rectitudinē, ita vt vnuquisque suum faciat officium, nec debitum ordinem turbet. In nostra lectione conueniet verbum, iudicare, exponere pro in iudicio & æquitate gubernare & regere, quomodo aliquoties accipitur in scripturis, vt ibi: Dan iudicabit populum suum, sicut & alia tribus in Israël. & : Diligite iustitiam Gen. 49. Sapientiam, qui iudicatis terram. Quoniam enim optima & præcipua pars regendæ reipublicæ consistit in iudicio, ideo per synecdochen iudicare accipitur pro toto genere, hoc est, pro regere: & iudices dicuntur, qui regatores sunt & gubernatores populi. Primus ergo fructus prudentis re-

CORN. IANSENII COMMENTARIA

ctoris est, quod iustis legibus regit populum suum. Secundus ex illo con-  
sequens est, quod principatus eius, quia bene erit ordinatus, erit etiam  
stabilis, ut pote bono fundamento nempe iustitiae innexus. Nam, ut dici-

Prou. 29. tur in Proverb. Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in-  
ternum fundabitur. Lyra legit non, stabilis, sed terribilis, quomodo &  
scripta quædam habebant, unde addit pro commetario, omnibus malis.  
Quia enim iudex sapiens bene regit & iudicat populum, ideo eius prin-  
cipatus terribilis est omnibus impijs, qui à iustis legibus sibi metuunt.

Roma. 13. Non sunt enim principes timori boni operis, sed mali. Et facile addu-  
cor ut credam interpretem potius vertisse, terribilis, ut respexerit ad il-  
lud quod est in Canticis; Terribilis ut castrorum acies ordinata; ubi pro,  
Cant. 6. castrorum acies ordinata, etiam est quod hic *τιτανίου*.

2 Secundum iudicem populi, sic & ministri eius: & qualis rector  
est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.

Tertius hic fructus boni principis indicatur, quia principis exemplum  
ad bene malevolentiam viuendum magnam habet primum in ministris eius,  
deinde & in reliquis ciuiis vim & autoritatem. Quod & Plato dixit:  
Quales sunt principes in republica, tales solere reliquos esse ciues. Et  
communi proverbio dicitur: Regis ad exemplum totus componitur  
orbis. &: Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

3 Rex insipiens perdet populum suum, & ciuitates habitabuntur  
per sensum prudentium.

R Ex insipiens perdit populum suum, non solum quia per prava exem-  
pla & verba stulta, item per negligentiam suam, multorum eis causa  
est peccatorum aeternæ damnationis, sed etiam quia per defectum sa-  
cientiae, causa est ut recta politia reipublicæ pereat, ac populus infelici-  
ter sub eo viuens ab eo dilabatur. Contrà per sensum, hoc est, prudentiam  
prudentium (vel, ut est Graece, *λογιστής*, potentium vel principum) ciuita-  
tes habitabuntur, hoc est, ciuium frequentia florebunt. Confirmat haec  
præter experientiam quotidianam historiæ veteres, siue sacræ, siue pro-  
Prou. 29. phanæ, & multæ scripturarum sententiae similes, ut: Rex iustus erigit ter-  
Sapien. 6. ram, vir auarus destruit eam. &: Rex sapiens, populi stabilimentum est.

4 In manu Domini potestas terræ, & execrabilis omnis iniquitas  
gentium, & utilem rectorem suscitabit in tempus super illam.

P Ostquam indicauit quantum bonum sit bonus princeps, & quantum  
malum malus, recte hanc subiicit sententiam, ut intelligatur a quo  
bonum tantum procedat, & petendum sit: non pendere illud scilicet  
ex electione populi, sed ex singulari Dei beneficio. Mirum autem quo-  
modo hoc loco irreperitur secunda illa pars quæ in nostris legitur libris;  
& execrabilis omnis iniquitas gentium; cum & postea repetatur, &  
hic sit impertinens, perdatq; gratiam sententiae. Rabanus testatur quos-  
dam

dam legere, & exclamabilis. Certè non credo interpretem eam hoc loco inferuisse. Cæterum potestas terræ dicitur esse in manu Domini, vel quia omnis potestas quam quis in terra obtinet, donetur à Deo, iuxta illud Pauli: Non est potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt, à Deo Roma.13. ordinatae sunt. Vel potius quia dominium totius terræ est apud Deum, qui solus plenam habet in terra tota potestatē, sicut dicitur in libro Hester: In ditione tua cuncta sunt posita. & in Psalmis: In manu eius sunt omnes fines terræ. & : Domini est terra & plenitudo eius. Et quia eius Hester 13.  
Psal 94.  
Psal. 23. est terræ potestas, ideo ipse est qui cùm vult singulari suo beneficio cōstituit super terram aliquem utilem rectorem: & proinde ipse etiam est, qui iratus inutilem constituit, iuxta illud: Regnare facit hypocritam propter peccata populi. Quo autem minus inserta illa in nostris libris pars; & execrabilis omnis iniquitas gentium; perdat gratiam substantiæ, si modò retinenda est, conuenienter sic intelligetur, non ut subaudiatur verbum, est, quasi sit sensus; execrabilis est omnis iniquitas gentiū, sed hoc modo: In manu Dei est potestas terræ, & in manu eius est etiā emnis iniquitas gentium quantumvis execrabilis, ut significetur, Dominum non tantum habere potestatem in Iudeos & fideles, sed etiam in gentes idololatras, et si ipsum pro Domino non agnoscerent, ut iniquitas gentium, hic positum sit pro inquis gentibus. Aut iniquitas illarum intelligatur esse in manu Domini, quod illam cùm vult vindicet, atque ab ea gentium corda cùm vult auerit: quemadmodum factum est per Christum, in quo perfectè impletum est quod hic dicitur: Utilem rectorem suscitabit super ipsam terram vniuersam. Bene autem dicitur: In tempus constituet; quia nulli vñquā terræ datum est ut imperpetuum haberet utilem rectorem, sed tantum ad tempus, ut est hic omnium rerum vicissitudo.

5 In manu Dei potestas hominis, & super faciem scribæ imponet honorem suum.

Pro, super faciem, Græcis est πλεωπός, quæ dictio & faciem significat & per loquam, quorum postremum hic magis conueniret, ut sit in personam scribæ; hoc est, literati & docti hominis, qui alios erudit ad falem. Pro, potestas, hic non est ut prius ἡσσία, sed ἰωδία, hoc est, fœlicitas & prosperitas vel successus, significaturque à Deo prouenire, ut homini insignis aliqua potestas qua fœlix sit, obueniat. Aut potius significat à Deo non solù principes constitui, quod superiori sententia dictum est, sed etiam ab eo esse ut eorum actiones bonum habeant successum, & fœliciter res suas administrent. Itaque & quod nos legimus: In manu Dei potestas hominis; significat à Deo esse, & ut potestatem aliquam super alios quis habeat, & ut in ea constitutus aliquid rectè possit perficere, ac cuncta bene administrare. Deus item est qui personæ scribæ imponit honorem quem habet in populo, quia ipse est qui & sapientiam tribuit per quam honorabilis est populo, & facit ut doctrina eius acceptetur à po-

CORN. IANSENII COMMENTARIA

pulo, atque in illo fructum faciat cum summa doctoris gloria. Et hæc quidem dicta sint secundum eam acceptationem qua in scripturis nomen, scribæ, saepe accipitur, vt sit nomen sapientis & docentis, quomodo in

<sup>1. Esd. 7.</sup> euangelio dicuntur scribæ, quomodo & Esdras dicitur fuisse scriba ve-

<sup>2. Reg. 8.</sup> lox in lege Domini. Potest tamen videri hoc loco esse potius nomen dignitatis, quomodo in libris Regum Saraias dicitur fuisse scriba regis

<sup>4. Reg. 18.</sup> David, & Sobna scriba Ezechiae. Siquidem nomen ῥάματος, cui hoc loco & alijs respondet nomen Scribæ, significat Græcis scribam publicum & cancellarium, cuius officium erat publica scripta atque decreta seruare, eademque cum opus erat proferre & recitare, quales proximi regibus esse solent.

6 Omnis iniuriæ proximi ne memineris, & nihil agas in operibus iniuriæ.

P Oſtquam oſtendit vnde contingent boni principes, per quos regna firmantur, oſtenſurus vnde ſubuersio regnorum proueniat, duas prämittit ſententias, quibus dehortatur à duobus potiſſimū vitij, quæ ſubuſionis regnorum ſunt präcipuae cauſæ, ſuperbia ſcilicet & iniuſtitia, vel auaritia, per quam iniuſtitiae committuntur, quæ duo vitia maximè abeſſe debent à principibus, ſi velint regnum ſibi eſte ſtabile. Et in hac quidem priori ſententia duo prohibet quæ ex ſuperbia accidere ſolent. Primū ut ne iniuriā à proximo nobis illatam reminiſcamur ad vindicandum eam, néue eam diu multumq; in animo reuoluamus, exag-gerando eam. Secundò, ut ne ipſi alios iniuria afficiamus, maximè cum animi iſolentia, petulantia, & proximi deſpectu. Pro genituo enim, iniuriæ, in ſecundo membro eft nomen ῥεſiws, cum in priori membro fit & λικηματη, quod iniuſtitiam vel delictum ſignificat. At ῥεſiws non ſignifi- cat ſimpliciter quamuis iniuriā, ſed eam quæ cum petulantia contu-melijs; coniuncta eſt. Hæc ergo duo in superbis hominibus inueniuntur. Nam superbis ut facile offenditur, ita de vindicta inferenda mox multumq; apud ſe cogitat. Idem & ῥεſiws, eft petulans ac cōtumelio-fus, ita ut ſi quem videat lapſum & afflictū, libidine animi efferatur, nec vereatur inhumaniter ei iuſtare: imo & audeat ipſe quoquis contu-melijs afficere & iniurijs, omnes maximè inferiores deliciens, atque in eos quiduis ſibi licitum putans. Reclē autem intelligitur hæc ſenten-tia ab authore peculiärer dicta ad ipſos principes, ut moneantur & in vindicandis peccatis moderationem adhibere, & in ſubditos ſuos nihil committere per iſolentiam & iniuriā. Ad quos ſi peculiärer hæc ſententia referatur, potest illud quod dicitur, omnis iniuriæ non me-mineris; ſic accipi non ut moneantur nullam iniuriā vindicare, ſed non omnem. Multa enim principibus ſunt diſſimulanda. Porro pro, memineris, Græcis eft μνήμον, hoc eft, ne iraſcaris proximo. At inter-preſ videtur legiſſe μνήμον, hoc eft, memineris. Verum ſenſus eodem redit. Cur autem hæc vitia ſint fugienda, docet ſequens ſententia.

Odibi-

7 Odibilis coram Deo est & hominibus superbia , & execrabilis omnis iniuntas gentium.

**S**ecunda pars huius sententiae obscura admodum est in Græcis, & variè legitur. Nam quidam libri habet, ἵστημεν τὸν μελέταν ἀδικίαν, hoc est, ex utrisque committet iniusta. Alij habent, ἵστημεν τὸν μελέταν ἀδικίας, hoc est, ex utrisque delictum iniustitiae; quam lectionem credo veriorem esse, & est sensus: utrisque, nempe Deo & hominibus iniustitia, scilicet est odibilis. Atque hoc modo videtur legisse interpres noster, apud quem nomen, iniuntas, hic non est accipiendum pro quo quis criminis, sed pro eo quod peculiariter dicitur iniustitia, qua scilicet quis per avaritiam iniuste opprimitur, & suis spoliatur. Id enim propriè est Græcis ἀδικία. Duo enim vitia asserit hæc sententia maximè displicere & Deo & hominibus, nempe superbiam & iniustitiam, cōtra quæ duo vitia agit in sequentibus. Secunda ergo pars in nostra lectione ut originalibus consentiat, & proposito seruat, sic est accipienda; execrabilis est Deo scilicet & hominibus omnis iniustitia, quam gentes Dei timore destitutæ licenter committere solent, vi aliena rapientes, existimantes legem iustitiae, esse fortitudinem suam, ut possent sibi vendicare licet, quæ sua fortitudine obtinere valerent. Sic intellecta hæc tota sententia bene seruit sequentibus. Ostenditur enim mox quād hæc duo vitia Deo, hominibusque displiceant, cūm subditur:

8 Regnum à gente in gentem transfertur, propter iniusticias, & iniurias & contumelias, & diuersos dolos.

**P**Ecatum iniquæ oppressionis ex avaritia, notatur per illa duo, propter iniustias, vbi iam rursus Græcis est ἀδικία, & diuersos dolos, pro quo Græcis est, χρήματα & doctra, hoc est, opes dolo partas. Peccatum superbiae notatur per illa duo, iniurias & cōtumelias, pro quibus Græcē tantum est υερός, de qua dictione suprà dictum est. Adeo ergo hæc via Deo hominibusque displicant, ut ob ea vindicanda, regnum saepe ab una gente in aliam transferatur, hominibus alienum regnum sibi usurpatibus, Deo ita volente, in ultione superbiae & iniustitiae. Deus enim, Daniel 2, inquit Daniel, mutat tempora & ætates, transfert regna, atq; constituit. Et apud eundem dicitur Nabuchodonosor: Regnū tuum transibit à te, Dan. 4, donec scias quid dominetur excelsus in regno hominum, & cuicunque voluerit det illud. Contra prædicta ergo duo vitia prosequitur in sequentibus, ea exaggerans, atque eorum grauitatem ostendens.

9 Auaro autem nihil est scelestius. Quid superbit terra & cinis?

**Q**uidam libri scripti non habent coniunctionem, autem, quidam habent coniunctionem, enim, nominatim codex Bessarionis; atq; hæc lectio præferenda est, cūm & Græca habeant, enim: Probatur enim cur ob iniusticias & superbias iniurias regna transferantur, quia, inquit, ni-

CORN. IANSENII COMMENTARIA

hil est scelestius auaro, qui per auaritiam pleraque iniuste committit: nihil intolerabilius superbo, qui cum multam habeat se humiliandi causam, utpote terra & cinis, tamen quasi suae conditionis oblitus sese effert, & pro Deo propemodum se haberi vult. Bene autem dicit; auaro nihil esse scelestius; Primum quod auaritia in seipsa grauissimum sit peccatum, si consideres bonum cui inordinate afficitur. Illud enim inter omnia bona quae appetuntur est infimum, nempe pecunia: unde indignissima res est hominem, rationale animal, tam vili rei sese addicere, & totum tradere.

Ephes. 5. Qua ratione non dubitauit D. Paulus auaritiam vocare idolorum cultu. Et Cicero recte dixit lib. primo Officioru: Nihil est tam angusti animi, tamque prouia, quam amare pecuniam. Secundò, quia nullum est vitium quod in plura scelera hominem impellat, quodq; adeo sit noxiuim proximis & reipublicæ, quod & illud Pauli probat: Radix omnium malorum est cupiditas; ubi Græcis est φιλοτρυπία, sicut hic est φιλαγγυσθ. Et Cicero lib. 2. Rhetoricorum nouorum: Auaritia, inquit, ad quoduis malum hominem perducit.

10 Nihil est iniquius quam amare pecuniam. Hic enim & animam suam venalem habet, quoniam in vita sua proiecit intima sua.

Prior pars quæ est repetitio, aut potius commentarius eius quod mox dictum est, non est Græcis, quæ tantum habent; Auaro enim nihil est iniquius. Quam sententiam quidam Græci codices subiiciunt post illa verba, Quid superbit terra & cinis? alij eam interrogationem postea inserunt ante ea verba; Cum enim morietur homo, &c. quo loco magis eam collocari conueniret. Quidam etiā omnino non habent has de auaritia sententias. tanta est codicum varietas. Quoniam autē noster interpres post illam sententiam; Auaro nihil est scelestius; postposuit illam interrogationem; Quid superbit terra & cinis; necesse fuit repeteret quod semel fuit dictum de auaro, ut deinde addi posset; Hic enim etiam animam suam venale habet; quia cum pro pecunia habenda fiant rerū venditiones, pro hac re licet per sese vilissima, etiam vitam suā & animam, rem pretiosissimā, ac nullo pretio estimabilem periculo exponit, & perdit; quoniam in vita sua proiecit intima sua, hoc est, etiam adhuc viuēs perinde se habet, ac si omnia sua viscera eiecisset, nimurum quia omnem humanitatis & cōmiserationis affectum exxit, nec sibi bonus, nec alijs. Ad quod fortè insinuandū, cum Iudas proditor suspensus fuisset, crepuit medius, & effusa sunt omnia viscera eius. In quo clare videre licet quomodo auaro nihil sit scelestius, & quomodo animā suam auarus venalem habeat, qui pro argento, eoquē exiguo, dum Christum vendidit, suam magis animam, & vitā tum temporalem tum aeternā vendidit & amisit.

11 Omnis potētatus breuis vita, Languor prolixior grauat medicū.

12 Breuem languorem praecedit medicus, sic & rex hodie est, & eras morietur.

Græca

**G**ræca modò non habent hæc omnia, & quæ habent, sunt his dissimilia. Sic enim tantum habent; μακρὸν ἀρρώσημα νόπτια ταργὸς, καὶ βασιλεὺς σύμμερον, καὶ ἀνέση τελευτήσα, hoc est, Longum morbum præcidit medicus, & rex hodie (scilicet viuit vel est), & cras morietur. Comparat ergo Sapiens regem improbum & potètem morbo diurno & iam confirmato, qui à medico tamè vi & efficacibus remedij profligatur & resecatur, significaturq; talem regem velut morbum quandam esse & pestem reipublicæ, quæ illo nō minus grauatur, quam corpus morbo. Eundēq;, etiam si magnæ sint eius opes, & ob eas regnum eius videatur fore stabile & diurnum, à Deo tanquam reipublicæ curatore, subinde subitò tolli de medio, sicq; rempublicam liberari à tyranno quo grauabatur. Ad hunc sensum vt nostra lectio accedit, sic accipienda videtur, vt quæ sequuntur de medico post illud; Omnis potentatus breuis vita; declarant eam sententiam. Videtur autem per potentatum significari potissimum tyrannorum imperium, qui potètia sua abutuntur, & impotenter præfunt, contra quos totus hic locus agit: quorū ferè magis quam aliorum imperium breve esse solet. Cuius causa redditur, quia cū morbus prolixior medicū soleat grauare, ita vt difficillimè ab eo curari valeat, ideo solicite curat morbum breuem, hoc est, adhuc recentem in principio resecare & præscindere. Quo teatè significatur, Deū ipsum & respulas, dum sentiunt se grauari aliquo principe, & velut pestem esse noxiū sibi, ne diu sit ipsis grauamini, & ne nimias sibi colligat vîres, statim tollere de medio, quia, vt habet Psalmista: Non relinquet Dominus virgā peccatorum Psal. 134. super sortē iustorū. Ita fit, vt qui hodie rex est, cras moriatur, hoc est, nō diu viuat. Idem ergo hic significatur quod apertius dicitur Proverb. 28. Prover. 28 Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniam: qui autem odit auaritiam, longi fient dies eius. Vbi innuitur tyrannos, quorū sunt propria hæc vitia contra quæ hic agitur, superbia scilicet & auaritia, fere non diu viuere, vt & historiæ de multis testantur. Postquam ergo Sapiens ostenderat quam graue sit auaritiae vitium, ad retundendam etiā regum superbiam, docet per eam regnum ipsis non fore diurnum: proinde si illud volent sibi longum esse, non esse illis potenter, sed moderate utendum accepta potestate.

13 Cùm enim morietur homo, hæreditabit serpentes, & bestias, & vermes.

**R**editur & alia causa cur superbire nemo debeat, quantumuis magnum, itavt hic tacitè repeti debeat, quod prius positum est; Quid superbis terra & cinis? quod quædam exemplaria Græca hoc loco ponunt, vt coniunctio, enim, habeat quod declaret, & hæc sententia hærebat cum præcedentibus. Iudicauit nulli merito superbendum, tum quod terra sit & cinis, tuni ob breuitatem vitæ, maximè superborum. Addit iam & aliam causam, ex consideratione vilitatis humanæ post hanc vitam, nimirum quod ratione sui corporis fiat

CORN. IANSENII COMMENTARIA

homo bestiarum esca & socius, eas hæreditario quodam iure fortius pro omni honorum gloria & diuitiarū copia quam in hoc mundo obtinuerat. Id cùm omnibus omnino hominibus commune sit, etiam pijs, (vnde & Job de statu quem habiturus erat post mortem dixit: Putredini dixi; pater meus es, mater mea, & soror mea vermis) tamen peculiariter dicitur de impijs, sc̄tantibus gloriam & opes huius saeculi, quod hi post mortem nullam inter verē viuentes partem habeant, quodque in eis omnis huius mundi fœlicitas quam fœtati sunt, in eam vilitatem commutata sit, cùm id quod pij fœtati sunt, in vitam meliorem sit commutatum. Vnde de superbo Nabuchodonosor dicitur: Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum, subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Deinde impij non solum secundum corpus hæreditant serpentes & vermes, sed etiam secundum animam, quæ in perpetuum addicitur societati dæmonum, vermem perpeſſura qui non morietur in aeternum.

**14** Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo, quoniam ab eo qui fecit eum, recessit cor eius.

**G**RÆCε est, ἀρχὴ ὑπέρφανίας ἐν γράμμῳ στοιχεῖον, hoc est, principium superbiæ hominis defientis à Domino scilicet fuit, hoc est, tunc cepit superbia, cùm homo deficeret à Domino, pro quo noster vertit, ipsum apostatare à Domino, hoc est, ipsam defectionē fuisse initium superbiæ hominis, hoc est, fuisse primā in homine superbiæ, quam deinde in ipso multiplex & varia superbia secuta est, fixè illi inhærens. Ostendit ergo ex sua origine quā grande peccatum sit superbia, ut pote quæ cepit in ipsa prima defectione à Deo, quam fuisse superbiam declarant verba sequētia; quoniam ab eo qui fecit eum recessit cor eius. Illud enim fuit grandis superbiæ, quod primus parens ab eo qui eum recenter ex nihilo fecerat, quemque totius humani generis & mundi principem constituerat, sic recederet corde suo, hoc est, propria sua voluntate & electione, ut serpentis suggestionem præponeret Dei sui voluntati, recusatque eius unico mandato, quod obseruatu facile erat, obtemperare. In qua eius defectione etiam hoc fuit singularis superbiæ, quod diuinam quandam excellentiam appetuerit iuxta suggestionem serpentis dicentis; Eritis sicut dij; nempe ut sibi sufficere posset, nec à Deo cogeretur pendere. Itaque prima illa parentum primorum defectio à Deo, de qua hic Sapiens loquitur, fuit principium superbiæ hominis, hoc est, prima hominis superbia, & secundum generalem rationem superbiæ, quatenus scilicet in omni peccato concurrit, propter non præstitam quæ debetur Deo reuerentiam & obedientiam, & secundum specialem rationem, secundum quam superbia propriè dicitur appetitus propriæ excellentiæ inordinatus. Sicut autem in primis parentibus defectio à Deo fuit, sic initium superbiæ, ut esset prima superbia, & multiplicis deinceps superbiæ causa, ita & in alijs omnibus hominibus. Tūc enim in hominibus incipit super-

superbia, cùm Deum incipiunt derelinquere, & suam voluntatem diuinæ p̄æponere, tunc sic in eis incipit superbia, vt ex eo initio varia & multiplex in ipsis sequatur superbia contra Deum & homines.

15 Quoniam initium omnis peccati, est superbia, qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & subuertet eum in finem.

**D**Ixit superiori sententia quæ sit origo superbiæ, vt ex sua origine admodum vitiosa, superbiam odiosam redderet: nunc verò etiam amplius dicit, ostendens cuius ipsa sit origo, nempe omnis omnino peccati quod in mundum inuectum est. Et respicit ad superbiam primorum parentum, de qua dictum est superiori sententia, & ratione cuius dixit Tobias de superbia: In ipsa initium sumpfit omnis perditio. Di- Tobiz 4. citur ergo superbia, initium omnis peccati, quod ipsa sic fuerit primum peccatum, vt ipsa omnium deinceps sit causa. Nec tamen de ea tantum verum est quod sit initium omnis peccati, sed etiam in quo quis homine superbia est omnis peccati initium, quia omne peccatum ex eo incepit, quod homo Dei voluntate relicta suam facere præeligat, quod ad superbiam pertinet. Bene autem probat superiorē sententiam per hanc. Ex eo enim quod superbia sit omnis peccati initium, nec possit quis incipere peccare, nisi recedendo à Deo, quod est superbia, bene probatur quod defectio à Deo, fuerit initium superbie, hoc est, prima hominis superbia. Cùm ergo tam vitiosam superbiam habuerit originem, imò ipsa met tam vitiosa sit omnium vitiorum origo, merito adiicit: Qui tenuerit illam, hoc est, qui illam apud se seruat, & illam sibi dominari permittit, adimplebitur maledictis, vel, vt est Græcis, ἡ οὐ βρίσα βλίνυμα, hoc est, inundabit abominationem. Quo rectè intelligitur significari eum abundaturū abominandis sceleribus, & per superbiam multa execrabilia designaturum, quod & nostra lectio significabit, si per maledicta, intelligentur scelera atque peccata. Quanquam etiam possit intelligi, adimplebitur maledictis vel abominatione, quia multum execrabilis est Deo, iuxta illud: Abominatio est Domino omnis arrogans. Et tandem, Pro. 16. inquit, ipsa superbia suum possessorem penitus subuertet. quia, vt inquit Saluator: Omnis qui se exaltat, humiliabitur. Vnde monet Tobias: Superbiā in tuo sensu nunquam dominari permittas. Disputari autem solet, quomodo cum hac Sapientis sententia qua dicit: Initium omnis peccati superbia; concordet quod dicit Paulus: Radix omnium malorum. Tim. 6. est cupiditas, vel, vt legunt D. Augustinus & Ambrosius, auaritia. Itaque D. Augustinus lib. 11. de Genesi ad lite. cap. 15. nomen auaritiae hic vult possum, non vt significet vitium speciale, quod in studio inordinato pecuniae consistit, sed vt nomen speciei sit possum pro suo genere, hoc est, pro cupiditate, vt nos legimus. Sicut autem in omni peccato concurrit superbia, ita & alicuius rei indebita cupiditas. Proinde D. Thomas secutus D. Augustinum, doctè duas illas scripturas inter se conciliat prima secundæ quæst. 84. art. secundo, docens quod cùm in omni

CORN. IANSENII COMMENTARIA

peccato sit & auerſio à Deo, & conuersio ad aliquod commutabile bonum, superbia initium fit omnis peccati, ex parte auerſionis à Deo: cupiditas verò ex parte conuerſionis inordinatæ, ad aliquod bonum Deo inferius. Verū apud Paulum est φιλαργυρία, quod nomen cùm aperte significet amorem pecuniae, non nisi valde coacte dici poterit positū pro cuiusuis rei cupiditate. Et manifeste D. Paulus eo loco agit de vitiō studio pecuniae, volens illad esse radicem omnium malorum: Nam, inquit, qui volunt diuites fieri, incident in tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nocua, quae mergunt homines in interitum & perditionem. Dicendum ergo potius Apostolum auaritiam specialiter acceptam, afferere radicem omnium malorum, non quod omnia mala ex ea fiant, sed quod omnis generis mala ex ea fieri soleat. Nec solum quod omnis generis vitia inde proficiuntur, sed etiam quod omnis generis miseriae & calamitates, tum temporales, tum æternæ hinc incurvantur. Ideo enim præmittit, auaros in multa incidere desideria, quae mergunt homines in interitum & perditionem. Et subiicit, illos se inseruisse doloribus multis.

16 Propterea exhonorauit Dominus conuentus malorum, & destruxit eos usque in finem.

**M**Vltis iam sententijs effert mala quae propter superbiam terris sunt à Deo illata, ad cōprobandum quod dixit; superbia subuertere suos in finem. Pro, exhonorauit conuentus malorum, Græcis est, πορειάς τὰς ιπαγώντας. Porrò dictio ιπαγώντας, in hoc libro sèpè accipitur pro incursione calamitatum & vltione: quomodo si hoc loco accipiatur, sensus erit: Propterea admirabiles fecit Dominus vltiones, nempe in diluvio, in subuersione Sodomæ & Gomorrhæ, in submersione Pharaonis cum exercitu suo. Hæ enim admirabiles vltiones in scripturis significantur ob superbiam accidisse. Nam de Sodomis dicitur apud Ezechiel: Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, &c. De alijs notius est. Deriuatur autem verbum παραδοξάω, à nomine παραδίξο-, quod significat admirabile & inauditum. Interpes rursus videtur, sicut capite tertio, legisse pro ιπαγώντας, συναγώντας, aut etiam illam dictiōnem putauit nonnunquam significare congregationem, ideoq; verit, exhonorauit, hoc est, dehonestauit Dominus conuentus, hoc est, congregations malorum, insignis scilicet aliqua vltione eos inuoluendo, qua eos penitus subuertit, quemadmodum factum est in prædictis vltiōnibus. Sunt qui dictiōnem Græcam ιπαγώντας, hoc loco significare putant elationes, & fastuosas animorum persuasiones atque inductiones, à verbo ιπάγω, quod inducere significat. Itaque vertunt; Dehonestauit Dominus fastus, scilicet superborum. Verbū enim παραδοξάω etiā significat dehonestare, quomodo & noster intellexit. Ut ut est, prima hac de superbis perditis à Deo sententia notare videtur primas illas insignes vltiones, quibus magna hominū congregations subuersæ sunt penitus & subitò.

Sedes

17 Sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.

**S**imile est ei quod in suo Cantico virgo Deipara cecinit, Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles, cum præmisisset, dispersit superbos mente cordis sui. Quibus verbis prioribus magis hic Græca conueniunt, quæ habent, ἐπόντες ἀγαθῶν των γενετικῶν, hoc est, thronos principum detraxit Dominus. Loquitur enim de thronis ac sedibus regalibus & gloriosis, in quibus mansuetos sedere fecit, detractis superbis ex eis. Impletum est istud, non solum in apostatis angelis, quibus ob superbiam è cœlo deiectis, homines mansueti in eorum loca sublimati sunt, sed etiam in multis regibus & principibus terræ, ut in regibus Babylo-niæ, quibus regno priuatis, successerunt in eorum locū Darius & Cyrus, reges Persarum & Medorum, qui se mites exhibuerunt populo Iudaïæ. Item & in alijs plerisque, de quibus sacra & prophana historia. Nam & Saule regno propter inobedientiam deiecto, in eius locum assumptus est David à mansuetudine commendatus.

18 Radices gentium superbarum arefecit Deus, & plantauit humiles ex ipsis gentibus.

**D**ixit de principibus, nunc dicit de integris gentibus, quarum ob superbiam dicit Deum radices arefecisse, vel, ut est Græcis, extraxisse, hoc est, cum in terris suis viderentur firmiter radicatae, & insigniter vige-re, ut non viderentur posse euelli, aut desiccare: Deum tamen eas inde penitus sustulisse, & omnem earum vigorem subtraxisse, sicut cum extracta radix è terra arefit, nec vllā spem fructus proferēdi amplius seruat. Impletū est istud in Chananæis gentibus, quos è terra sua Deus perdidit, & in eorum locum plantauit in terra eorum Israëlitas, qui inter omnes gentes humillimi habebantur & abieciissimi. De quibus dictum est: Psalm. 43.

Manus tua gentes disperdidit, & plantasti eos.

19 Terras gentium euerit Dominus, & perdidit eas usque ad funda-  
mentum.

**D**ixit de gentibus ob superbiam suam eradicas è terra, nunc de terris ipsis sic penitus eueritis, ut nullum deinceps haberent habitatorem. Quod manifestè impletū est in Sodomitis, & quinque urbium regnis, ad Gen. 29. internectionē deletis, ad quos etiam videtur respicere in sequenti versu.

20 Arefecit Deus ex ipsis, & disperdidit eos, & cessare fecit memoriā eorum à terra.

**E**x ipsis, inquit, terris, quas Deus euerit, exarescere fecit homines, ita ut omnes interirent, nec superstit eorum memoria in aliqua ipsorum posteritate, nec post se reliquerint aliquam gloriosam memoriam, sed tantum cum insigni dedecore vigeat eorum diffamia.

CORN. IANSENII COMMENTARIA

21 Memoriam superborum perdidit Deus , & reliquit memoriam humilium sensu.

**H**Vnc versum Græca non habent. Videtur additus ad declarationem superioris versus; Perdit Deus memoriam superborum, iuxta illud Psalm.33. Vultus Domini super faciētes mala, vt perdat de terra memorā eorum, quia etsi maneat eorum memoria, non tamen ad laudem, cūm tamen ad hoc maximē aspirent, vt celebre illis nomen superfit. Humiliū autem sensu, hoc est, mente & spiritu, qui humana preconia non admodum querunt, nec de se magnificē sentiunt, seque sub potenti manu Dei demissē gerunt, memoriam reliquit apud homines, & angelos, vt famosi sint & celebres & in hoc sēculo , & maximē in celis . Patet istud in Patriarchis, Prophetis, Apostolis & Martyribus, quorum celebris memoria perseuerat in sēculum, iuxta illud: Memoria iusti cum Psal. 111. laudibus,nomen impiorum putrescit.&: In memoria æterna erit iustus.

22 Non est creata hominibus superbia , neque iracundia nationi mulier um.

**Q**Voniam superbia, quam haec tenus magnopere reprobauit, valdē radicata est in mentibus hominum , vt videri posset eis esse naturalis , rectē adiecit hanc sententiam, qua indicat superbiæ vitium non posse homines imputare Deo , qui illam non creauit in hominibus aut cum hominibus, quia creauit hominē rectum. Indicat etiam superbiam non conuenire homini, sed esse vitium naturæ,hominiq; non esse naturalem , sed contra naturam eius , cūm sint plerique qui ea se ornari potent, & ne homines quidem esse, qui non se alijs præferunt . Addit de iracundia, vel, vt est Græcis, ὁργὴ θυμός, hoc est, ira furoris, quod ea comes sit superbiæ,sicut mansuetudo humilitatis.vnde ea Christus coniunxit,dicens: Discite à me quia mitis sum & humilis corde.Iracundiam negat nationi mulierū, quia is sexus maximē ad iram prop̄p̄sus est, cūm ei omnino non conueniat,sed ei potissimum cōpetat mansuetudo. Aut potius per nationem mulierum , hic intelligi debent omnes homines, qui sunt generatio mulierum,hoc est,nati ex mulieribus.Est enim Græcis, γεννήματι γυναικῶν, hoc est, generationibus mulierum. Sic enim dicuntur homines γεννήματα γυναικῶν, sicut in Euangelio quidam vocantur, genimina viperarum. Itaque hac appellatione monet homines suæ conditionis, ob quam minimē eis conueniat superbia vel furor, vt qui ex mulieribus infirmis in summa infirmitate & vilitate prognati sunt, sicut hanc conditionem ad superbiæ repressionem regibus proponit Matth.11. Sapiens 7.capite lib.Sapientiæ.Indicat ergo hominem facile intellectum non conuenire sibi fastum, & ex fastu furorem contra alios, si conditionem suam & natuitatem consideret, eamque sibi cum omnibus communem: non hominibus hæc competere, sed bestijs quibusdam & feris, quibus natura feroce indidit animos,& arma dedit quibus insurgerent

gerent contra hostes, quas item ex raptu vivere voluit. Cum enim dicit non creatam esse hominibus superbiam, insinuare videtur eam quibusdam creatam, nempe feris: proinde quod dicit; non est creata hominibus superbia; magis debet intelligi sic: non est creata pro hominibus, quam in vel cum hominibus, ut significetur eam non hominibus conuenire, sed bestijs, ut qui eam sectantur, intelligant se beluinos esse, & ab humana conditione recedere.

**23** Semen hominum honorabitur hoc quod timet Deum: semen autem hoc exhonorable, quod praeterit mandata Domini.

**P**ost suggestionem superbiae, subiungit commodè commendationem timoris Dei, qui superbiae directè contrariatur, ut qui humilitatis fons est, initium sapientiae & omnis pietatis, sicut superbia initium est omnis peccati. Duo ergo facit hominum genera, quorum alterum, nempe semen & genus, quod timet ac reueretur Deum, & ob id studet seruare mandata Dei, dicit honorandum & apud homines & apud Deum: alterum verò genus, quod Dei timore destitutum, per superbiam præterit & negligit mandata Domini, de honestandum & hic, & multò magis in futuro. Si quis enim, inquit Dominus, mihi ministrauerit, hono- Ioan. 12. rificabit eum pater meus. & : Qui glorificauerit me, glorificabo eum: Reg. 2. qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

**24** In medio fratrum rector illorum in honore: & qui timent Dominum, erunt in oculis illius.

**R**elatiuum, illius, Dionysius refert ad rectorem, ut significetur rectorem fratrum magis curam habiturum eorum qui timet Dominum. At rectius refertur ad, Dominum, ut sit sensus: Sicut rector vel dux aliquius communitatis, in qua ciues inter se vivunt velut viiius familie & domus fratres, est inter illos multum honoratus, omnesque in illum respiciunt: ita etiam qui timent Dominum, erunt in oculis Dei, hoc est, grati sunt Domino & honorabiles. Vel erunt in oculis illius, subaudi, in honore, ut id repetatur ex priori membro. Itaque honorem timentium Deum significat fore maiorem quo quis honore eorum qui apud homines ob prefecturam magni fiunt, quia isti honorantur ab his qui cum ipsis eiusdem sunt conditionis, ut potè fratres ab eodem patre progeniti; at illi honorati sunt apud communem omnium Dominum, atque apud eum velut magni principes habentur.

**25** Gloria diuitium, honoratorum & pauperum, timor Dei est.

**G**raeca habent, Diues, & honoratus & pauper, gloriatio eorum timor Domini. Non ergo adiectiuum, honoratorum, coniungendum cum genitivo, diuitium: & gloria non accipitur pro honore, sed pro gloriacione, cum sit Graecis καὶ γένεα. Praeterea sanè sententia, quae significat neque diuitem gloriari debere in suis diuitijs, neque honoratum in suis

CORN. IANSENII COMMENTARIA

suis honoribus: sed neque pauperem sese animo deiijcere debere ob tenuitatem suae fortunae & suam humilitatem, sed omnibus in eo solo glorandum esse, quod sentiat se Dei habere timorem: qui si adsit, nihil obfuerit paupertas: si defit, nihil proderunt vel diuitiae, vel honores huius saeculi. Vnde Psalmista: Lætetur cor meum ut timeat nomen tuum. Et capite superiori dictum est: In timore Dei fit gloriatio tua. Simile est illud Ierem. cap. 9. Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitijs suis: sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me.

Psal. 55.

Ierem. 9.

26 Non despicere hominem iustum pauperem, & non magnificare hominem peccaterem diuitem.

Rom. 12.

**Q**uoniam infiniti illi, despicere & magnificare, non habent verba aliqua personalia quæ sententiam absoluant, quidam hunc versum coniungunt cum versu præcedenti sub una sententia, ut hic iam explicetur in quo timor Dei consistat, & sit sensus; gloria hominum est timor Dei, nempe non despicere, &c. At Græca hic plenam habent sententiam. Additur enim in prima parte, σιναος, & in secunda ναθενα, ut sit plena sententia; Non est æquum despicere hominem pauperem intelligentem, & non conuenit honorare virum peccatorem. Interpres illas dictiones non videtur legisse, sed familiare est Græcis infinitius ponere pro imperatiuis, aut in illis subintelligere, oportet vel conuenit, ut cùm Paulus dicit: Gaudere cum gaudentibus, & flere cum fletibus. Ita ergo & hoc loco in infinitiis illis subintelligendum est verbum, conuenit, aut pro imperatiuis sunt accipiendi. Vnde quidam libri scripti habebant; Non despicias, & noli magnificare. Est autem hæc sententia utilis admodum contra corrupta hominum iudicia, docetque rebus externis non metiendam cuiusque dignitatem vel indignitatem, vt, sicuti ferè sit, ob paupertatem despiciatur aliquis, etiamsi iustus sit: & ob diuitias honoretur quispiam, etiamsi peccator sit insignis. sed vnumquenque vel solum vel præcipue honorandum propter virtutem & timorem Dei, in quo solo hominum gloriatio & ornamentum consistit, ut superiori sententia dictum est, quam proinde hæc sententia recte sequitur, ut quæ ex illa concluditur.

27 Magnus est iudex, & potens est in honore, & non est maior illo qui timet Deum.

**G**ræca habent, μεγάλοις καὶ πειραταῖς καὶ δυνάσταις δοξασθέοντι, hoc est, magnates & iudices & dynastæ (hoc est, potentes principes) honorabuntur. Itaque tria hominum genera nominantur, qui apud homines sunt in honore. Et deinde subiungitur; & non est aliquis horum maior timente Dominum. Omnino ergo crediderim interpretem vertisse; Magnus & iudex & potens est in honore; ut adiectiva, magnus & potens, sint substantiæ posita pro excellenti homine & potenti principe;

principe: quod cùm plerique non intelligerent, variè hunc locum corruerunt. Quidam enim libri habent; Magnus est diues & iudex potens in honore. Alij; Magnus est iudex & potens in honore. Alij; Magnus est iudex & potens est in honore. Quidā etiam; Magnus enim iudex & potens est in honore. Nec tamen haec multum ad rem faciunt, nisi quòd vera lectio studiosè sit inuestiganda & retinenda: alioqui semper significatur idem, nempe et si sit aliquis ob quamvis autoritatem in honore magno apud homines, tamen is in veritate, & apud Deum non est maior & excellentior illo qui timet Deum. Nam vt postea dicitur: Timor Dei super omnia se superposuit.

Cap. 25.

- 28 Seruo sensato liberi seruient, & vir prudens & disciplinatus non murmurabit correptus, & inscius non honorabitur.

**T**ertiū membrum Græcis non est, additum tamen est ab interprete explicationis gratia. Sicut enim in superioribus sententijs indicavit quis honor debeat timenti Deum: ita hac sententia indicat quem honorem mereatur sapiens, & quòd per superbiam non conueniat negare sapienti debitum honorem. Seruo, inquit, sensato, hoc est, prudēti liberi non dedignabuntur seruire & obsequi, & vir prudens à tali correptus nō murmurabit: sed illi eum deferet honorem, vt cum gratiarum actione eius correptionem recipiat. Istud quoniam ad hoc propositum dictum est, non malè adiecit interpres; & inscius, hoc est, indoctus, non honorabitur, sicut scilicet sensatus & prudens. Simul tamen hac sententia reprimit quorundam superbiam, contra quam totus hic locus agit. Docetque nec liberos per superbiam debere reijcere consilium & imperium seruorum prudentium, cùm scilicet per prudentiam suam euecti sunt ad imperiū, aut alioqui bene quid monent: nec prudentes per similem superbiam murmurare debere cùm à talibus corripiuntur. Nō enim prudentiæ nomine detractare debent correptionem, sed contrà potius eo nomine illam benignè suscipere, cùm nemo sit tam prudens qui non in quibusdam peccet, & non possit fieri prudentior. Vnde in Proverb. Prouer. 9. dicitur: Argue sapientē, & addetur ei sapientia. Vbi etiā habetur quod cùm Prou. 17. prima parte huius sententię cōuenit: Seru' sapiēs dominabitur filijs stultis.

- 28 Noli extollere te in faciendo opere tuo, & noli cunctari in tempore angustiæ.

**V**T hic locus & quæ sequuntur in hoc capite, rectè intelligātur, diligenter cōsulenda sunt originalia, ex quorū collatione deprehēdetur longè alium hic esse sensum, quām quem hic cōmentatores ferē reddit: Sunt autē Græcis pro extollere & cūstari, duo infinitiui *σοφία* & *σοφίζω*, quāquam posterius verbum apud eos in priori ponitur parte, & prius in posteriori. Porrò verbū *σοφίζω* nō tantum significat sapiēter loqui, aut sapientiam iactare, sed etiā imponere sermonē, & captiosē agere, causasque nectere ac rationes, quibus se quis excusat, quomodo accipitur hoc loco.

Signifi-

CORN. IANSENII COMMENTARIA

Significatur enim neminem causas rationesque nestere debere, quibus cum operandum est, suam ignauiam ac verecundiam ambitionem excusat & occultet, nec tunc praetextu honoris aut nobilitatis detrectandum esse laborem. Proinde interpres pro *οὐρανός*, quod videtur legisse in secundo membro, optimè vertit, cunctari, hoc est, procrastinare, differre & pigriscere. & est sensus; Cum necessitas tibi incubuit faciendi opus tuum, noli te extollere, hoc est, existimare te nimis esse magnum, nobilem aut honoratum, ut ob honorem que obtines, aut tibi ascribis, indignum te putas operari & laborare, & in tempore angustiae, hoc est, cum premeris rerum inopia, & angustiae sunt opes tuae, noli pigriscere, & detracere laborem, afferendo rationes quibus te excuses, dicendo scilicet; Indignum est meis natalibus, meo loco, ac nomine: seruorum est, non liberorum, operari & laborare, &c. Hunc enim esse huius loci sensum demonstrat sequens sententia, que cum coniunctione causaliter apud Græcos subiungitur; Melior est enim. Itaque haec dicuntur contra ridiculam quorundam superbiam, qui cum egeant, recusant labores, quibus suæ inopiae prospicere possent, tanquam suo nomine indignos.

30 Melior est qui operatur & abundat in omnibus, quam qui gloriatur & eget pane.

**G**loriari, hic positum est pro iactare se de honore suo aut nobilitate sua, aut potius pro gloriosum esse & honoratum. Similis est sententia in Prouer. Melior est pauper & sufficiens sibi, quam gloriosus & indigens pane. Continet utraque sententia egregiam comparationem hominis gloriose, inutiliterque ambitionis, cum eo qui sine pudore ea in re laborat in qua dignitas inesse non videtur, & dicitur hic illo esse melior, hoc est, præferendus illi, & magis laudandus.

31 Fili in mansuetudine serua animam tuam, & da illi honorem secundum meritum eius.

**P**ro, serua, Græcis est *δέξασθε*, hoc est, honora, quod verbum vel in aeterno, vel in passiuo, vel in suo participio, est in praecedentibus duabus sententijs, & omnibus sequentibus usque ad finem capit. Videtur autem, si praecedentia & sequentia spectemus, hac sententia voluisse eos qui inopia aguntur, ad laborem patienti animo subeundum prouocare: quia qui hoc facere recusant, iniuriā suæ animæ inferunt, eiique debitum honorem denegant, dum ei necessaria suæ sustentationi per pigritiam & superbiam subtrahunt, & fame atque mero confici finūt. Honor enim in scripturis saepè ponitur pro debitæ sustentationis prouisione, ut supra dictum est. Itaque sensus est; Fili, si incidere te contingat in tempus angustiae, & inopia premeris, noli id impatienti animo ferre: sed per mansuetudinem animi affice animam tuam honore, & conserua eam, laborando pro ea, & labore manuum & industria tua ei prospiciendo de necessarijs, ut in hac vita & corpore permaneat, & hac ratione da illi hono-

honorem quem eius dignitas meretur, nec finas eam inedia contabescere, quod plane est eius dignitate indignum. Non enim hic locus accipiendus est de merito operum, sed de dignitate ipsius animæ, quam habet ex sua conditione. Nam Græcis est; κατὰ τὴν ἀξίαν δύναται; hoc est, secundum dignitatem eius; quod bene vertit interpres, secundum meritum, quia dignitas eius meretur honorari. Sic & postea cùm dicitur cap. 38. Fac luctum secundum meritum eius; Græcè est, κατὰ τὴν ἀξίαν δύναται. Et vbiunque Latini dicunt aliquid fieri secundum meritum vel pro merito, Græci dicunt κατὰ ἀξίαν. Vnde rectè vertit noster interpres ad Hebreos 10. Quanto magis deteriora putatis mereri supplicia; vbi **Hebr. 10.** pro, mereri, Græcis est, οὐ πάθεσθαι, hoc est, dignus erit. Vide autem efficaciam huius sententiae. Cùm enim plerique mortalium à laboribus abstinentem sibi putent, quasi per illos dehonestentur, & ideo malint etiam egere quām laborare, contrà Sapiens docet laborem pro necessarijs parandis suscepsum esse honorem animæ, eosque qui pro ea labore recusant, non se cohonestare, sed animam suam dedecorare, & priuare debito illi honore. Porro mansuetudinem opponit impatientiæ, quia præcessit, de tempore angustiæ, quod impatientiæ & iræ contra Deum causa esse solet. Ad propositum sententiae sic intellectæ pertinet quod sequitur:

**32** Peccantem in animam suam quis iustificabit? & quis honorabit exonorantem animam suam?

**S**ignificat rem esse indignissimam peccare in animam propriam, eamque dehonestare: & qui hoc facit, nullius nec defensione vel excusatione, nec honore vel subuentione dignum esse. Iustificare enim hic positum est pro iustum aliquem pronunciare, aut potius excusare aliquem: quomodo reus vel patronus rei dicitur reum iustificare, dum eum excusat, & à crimine alienum esse ostendit. Et cùm dicitur, quis honorabit, de honore subsidiij potissimum loqui videtur, quia de eo agit qui peccat in animam suam, eamque dehonestat, recusando laboribus ei subuenire. Generaliter tamen hac sententia etiam ut licet, contra eos qui quovis vitio contaminant animam suam. Qui enim diligit **Psal. 10.** iniquitatem, odit animam suam, & in eam peccat, atque eandem dehonestat, cùm in ea pulchritudinem tollat imaginis Dei, ad quam creata est. Tales ergo merito nec quisquam exculabit, nec honore dignos iudicabit. Sic & præcedens sententia, generaliter accipi potest, vt ea moneamus per sedationem passionum, & animi mansuetudinem honorare animam, & conseruare eandem in tranquillitate sine perturbationibus iræ potissimum, sicque dare ei honorem quem meretur.

**33** Pauper gloriatur per disciplinam & timorem suum, & est homo qui honorificatur propter substantiam suam.

CORN. IANSENII COMMENTARIA

Pro, gloriatur, & honorificatur, utrobique Græcis idem verbum est,  
*dæfæstæ*, hoc est, honoratur. proinde verbum, gloriatur, hic sicut  
& in sequenti sententia, accipi debet non pro iactare se, sed passiuè pro  
honorari. Ne enim pauper qui pro necessarijs vitæ cogit laborare,  
& ratione paupertatis inglorius est mundo, queratur nullam sibi reli-  
ctam viam consequendi honorem, quem facile sibi per diuitias acquirit  
apud mundum diues, duas esse rationes afferit assequendi honoris.  
Pauper, inquit, honoratur, & verè gloriosus est, si sapientiam habeat &  
timorem Dei, & est qui honoratur propter opes suas, diues scilicet,  
quem vel solo diuitiarum intuitu mundus magni facit, eique applaudit.  
Qua comparatione satis insinuat utrius gloria sit verior & solidior, ea  
scilicet quæ causam habet solidiorem.

34 Qui autem gloriatur in paupertate, quanto magis in substantia?  
& qui gloriatur in substantia, paupertatem vereatur.

**S**ecundam partem Græca longè aliter habent correspondentem cum  
priori; Et inglorius in diutijs, quanto magis in paupertate? Et est  
sensus: Qui gloriosus est & in honore, cùm pauper est, nempe propter  
sapientiam & religionem, multo magis honoraretur si etiam ei opes ac-  
cederent, quandoquidem iam in eo simul ambæ illæ honoris rationes  
*Ecclesiæ. 7.* concurrerent. Et, ut dicitur in Ecclesiaste; Ut ilior est sapientia cum di-  
utijs, & magis prodest videntibus solem. Sicut enim protegit sapien-  
tia, sic protegit & pecunia. Contrà, qui cùm possideat diuitias quæ  
nonnihil faciunt ad honorem comparandum, tamen inglorius est ob  
vitæ improbitatem & insipientiam, talis multo magis inglorius esset  
in paupertate constitutus, cùm utrâque honoris ratione destitutus es-  
set. Nostra lectio in secunda parte, ut ad dictum sensum accedat, sic  
est accipienda; Qui in diutijs constitutus, hoc solo nomine honora-  
tur, is merito vereri debet paupertatem. Nam ea si accedat, omni iam  
prospero honore destituetur. Et significatur, honorem pauperis longè  
preferendum esse honori diuitis. Nam quem pauper ob sapientiam &  
virtutem habet honorem, non solum eripi non potest, sed etiam fa-  
cile augeri, accendentibus scilicet diutijs, quæ virtutem & pruden-  
tiæ comitari solent. Quem verò diues obtinet à diutijs, is instabi-  
lis est & non fixus, cum ob fortunæ volubilitatem paupertas varijs  
modis metuenda sit, & frequenter accedat.

CAPVT